



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Clementem IX. Pont. Opt. Max. Recens Creatvm. Ode I. Augustissimam
eius inaugurationem commendat, non spetantùm, & ex vmbra vaticinij
Sidus Olotis futuram, sed etiàm reapse diuinum venisse Gygnum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

IAC. ALB. GHIBBESII

POET. LAVR. CAES.

LYRICORVM LIBER PRIMVS.

AD CLEMENTEM IX.

PONT. OPT. MAX.

RECENS CREATVM.

ODE I.

Augustissimam eius inaugurationem commendat, non spe tantum, & ex umbra vaticinij Sidus Oloris futuram, sed etiam reapse diuinum venisse Cygnum ex Helicone. Deinde ad alias eiusdem procedit laudes singulares.



Venit albâ Numinis alite

Fatale carmen, Sidus Oloris : hoc

Instabat appictum cubili ;

Hoc tacitis dabat antè signis

Orbis parentem . Quid, quòd apertiùs,

Ambage missâ , ROSPIGLIOSIVM

Dulci salutârant Camœnæ

Ore cycnum, tremulôque plectro ?

Sed non, vt olim, fas erit eloqui

Gentile nomen : se videt alterum

Iam dedicatus : nec Quirino

Romuleæ placuere voces

Diuum sodali : sic Icelon colit

Idem Phobetor ; Leucotheæ sibi

A

Mu-

Mutata nymphæ cedit Ino ;
 Xanthe, parem refugis Scamandrum .
 Haud res easdem cælicolæ expriment
 Verbis eisdem . Differimus modo
 Plerumquè sublimes & imi
 AËtheream celebrare gazam .
 Nobis vocatus nomine IULIUS ,
 Auctoris alti sorte vicariâ ,
 CLEMENTE vertis, (sic Tonanti
 Perpetuo, placitumquè stellis)
 O NONE, suppar cui nihil, aut prius ,
 AEquale quidquam continet ambitu
 Diffusa tellus, iusti honoris
 Promeritis, solidâque laude .
 Claram & fidelem iudicij notam
 Hic ipse de te prodidit aureo
 Mensis lapillo, cùm magistrum
 Purpureus legeret Senatus .
 Cùm tu decoris arduus infulis ,
 Pallâque fulgens, & lituo graui ,
 Supremus exires Latinum
 Missus in imperium Sacerdos .
 Hinc, vndè rector nosceris vnicè
 Custosquè mundi, seù gladium incidit
 Vibrare Paulli, seù maritas ,
 Arma Petri, soluisse clauis ,
 Verendus æquè . Te genibus minor
 Plebs sanctum adorat, te tumidi pauent
 Ducesquè, Regesquè explicantem
 Tergemini sacra signa regni .
 Nam quid tiaræ iure valentius
 Partes in omnes, si benè creditur
 Recto pióque ? imponet axi
 Fræna; nigros quatiet recessus .
 Nil mirum, & istos terrigenûm greges
 Si voluat vnâ . Rex decus hospitis
 Nôrat Philippus, nominandam
 Quandò dedit tibi Margaritam .

Iam

Iam tunc Iberæ mysticus vt pater
 Gemmæ, capacem fingere cœperas
 Lustrando fortunam Parentis
 Aufoniæ dominantis vrbi.
 O meta votorum alma, Quiritibus
 Extorta flexis ! ô genus imperi
 Cœleste ! mensis ô beate,
 Qui cumulas bona cuncta, Iuni.
 Fies fauentum tu quoquè luminum,
 Addenda fastis lux Capitolij ;
 Lux pulchra, festiuæ creatrix
 Latitiæ, calidiquè plausus.

AD ALEXANDRVM POLLINVM.

*Detestatur anguillam, quam Comaclij ederat, causam
 grauissimæ nephritidis.*

ODE II.

NE quærant rigidi saxa triumviri,
 Neù scalam gemitus, neù corium bouis
 Damnato capiti ; vel miserabiles,
 Expectare velint aut Scyron exules
 Infamem scopulis, aut grauis Olbiæ
 Sardöas nebulas, aut loca Pontica.
 Mortes sufficiet Lerna Comaclij,
 Serpentum genitrix, pectoribus pares ;
 Seù mactare diù, seù breuis incidit
 Tormenti pietas, lædere dextera.
 Horum, pròh Superi, viscera ciuium !
 Væ mi, quæ misero spicula lancinant
 Ventrem ? quod stomacho virus inhorruit,
 Motâ bile furens, fellea concito
 Vt cogat vomitu reddere flumina ?
 Anguillæ tumidam nomine coniugem
 Demisi colubri ? nùm memor indolis
 Eruptura latus findere vipera